



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Hannoniae primitiae. Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

C H R O N I C A

Turoiti Domlinus, religiosissimus presbyter: & sanctus Trudo Hasbanus, in Brugensi agro sibi gentilitio monasterium construebat, vbi octoginta monachos aluit. Clarebat etiam Amandus episcopus apud Flandros, Gallicanos potissimum, præter dictos Gandenses: hoc est, in Pabulensi territorio, & in Austrouandia. Ad Elnonem, celeberrimum construxit monasterium, quod S. Amandi dicitur, vbi abbatem præfecit sanctum Andream. Martianis discipulum habuit sanctum Ionatum, primum abbatem: & sanctissimam Rictrudem, viduam ducis Adalbaldi, quæ viro orbata à beato Amando consecratum velum accepit, & cum prolibus, Clotsende, sancta Eusebia, & Adalsende, Martianas monasterium delegit, rege quidem indignante, sed pacem inter eum & ipsam conciliauit beatus Amandus. In Broylo discipulum habuit sanctum Maurontum diaconum & abbatem, filium sanctæ Rictrudis: & in Hamatico, sanctam Gertrudem viduam, primam abbatissam. In Truncinio Basinus & Aldegundis claruerunt.

Hannonia primitia.

C A P. XII.

IN Hannonia clarus erat per ea tempora sanctus Autbertus, episcopus Cameracensis, successor S. Ableberti, per quem in superni amoris feruore adeò accensus est S. Vincentius, Comes Hannoniæ, quod deposito militiæ cingulo se totum astrinxerit ad cultum diuinum: & duo monasteria construxerit vnum in Altomonte, in quo habitum monachicum assumpsit: & alterum Sonnegijs, in quo obdormiuit. Fuerat annis aliquot

quot Hyberniæ gubernator, qua etiam occasione insignes aliquot fidei prædicatores, iam ante memorati, ex Hybernia ad nos libentius venerunt. E quibus apud Hannonios corporaliter quiescunt, Sancti, Etto frater S. Adalgi-
fi & Wasnolphus. Clarebat etiam sanctus Lanelinus Cameracensis, ex sacro fonte filia-
ster sancti Autberti, qui diuturna excorsus pœ-
nitentia, (cum enim errabundum in gremium Ec-
clesiæ reduxit sanctus Autbertus) quatuor in-
signia fundavit monasteria, Lobium, & Alnas,
in territorio Leodiensi: Item Waslariam & Cri-
spinium, in quo postremo monasterio resedit,
eundemque locum, cum vicinis, vomere diuinæ
prædicationis excoluit, cum discipulis, sancto
Domitiano, & sancto Adelino. Inter Crispi-
nium & Montes, potissimum clarebat sanctus
Gislenus, cum discipulis suis sancto Lamberto,
& sancto Berlerio, qui non paucos in ovile do-
minicum introduxit, & eo loci Cellam funda-
vit in honorem Apostolorum: quæ nunc est pri-
maria abbatia Hannoniæ, dicta sancti Gisleni.
Montibus cellam siue monasterium construebat
sancta Waldetrudis, in quo vixit, servata charita-
te, separata à suo marito Sed hodie est nobilium
Canonicarum collegium. Clarebant etiam sanc-
titate parentes eius, Walbertus & Bertilia: item
soror sancta Aldegundis, quæ Malbodium mo-
nasterium fundavit: & proles, sanctus Landri-
cus, sancta Aldetrudis, sancta Madelberta, quæ
duæ in regimine Malbodiensis monasterij, suc-
cesserunt suæ materteræ, & Dentelinus puer in
albis mortuus. Claruit etiam sanctus Humber-
tus episcopus qui Maricolense cœnobium fun-
davit,

dauit, & alij quidam, quos in subsequen-
tibus nominabimus : vbi etiam nonnulli ex dictis nomi-
nari possent ob longiorem vitam.

De tyrannide Ebroini Maioris domus.

C A P V T X I I I .

Clotario mortuo anno sexcentesimo sexage-
simo sexto, Theodoricus frater in regnum
sublimatur, ab Ebroino maiore domus, sed pro-
pter Ebroini insolentiam à Francis repudiatur, &
frater eius Childericus, qui in Austrasia regnabat,
ad regnandum euocatur: sed Theodoricus iterum
restitutus est, anno sexcentesimo septuagesimo
octauo.

Claruit sanctus Vindicianus episcopus Ca-
meracensis, siue Atrebatensis, qui numerosam
multitudinem ad Dominum conuertit. Ecclesiam
Dei genitricis Atrebatensem, ex rebus proprijs,
vna etiam cum rege Theodorico, augmentauit.
In villa *Hunolcort*, cum pretiosissimo martyre
Lamberto, monasterium consecrauit, cui præfuit
sancta Valeria. Sancta autem Maxellendis virgo
à proco in agro Cameracensi martyrizatur, anno
sexcentesimo septuagesimo.

Sanctum Lambertum clarissimum episco-
pum Traiectensium ad Mosam, episcopatu priuat
Ebroinus. In exilium mittit sanctum Amatium e-
piscopum: quem exulem primò fouebat sanctus
Furseus, deinde S. Maurontus. Crudeli martyrio
affecit in Artesia sanctum Leodegarium episco-
pum, & fratrem eius sanctum Gerinum.

Morino